

1537  
Alexander  
Ursinus Su-  
leimani mō-  
rō Senatus  
exponit.

Mīdata ad  
Pesareum  
de trierar-  
chis, qui  
Janusbejū  
aggressi  
erant.  
Alexander  
Contarenus  
in ius voca-  
tus.

Alexander  
Ursinus ad  
Aulonem ad  
Suleimanū  
mittitur.

Vincentius  
Grimanus  
ad Suleima-  
num orator  
designatus.

Suleimani  
decretum de  
Coreyra in-  
vadenda.

Turcicæ  
triremes ab  
Auria ca-  
pta.

Turcicæ  
classis ad  
Coreyram  
appellit.

tenuere: tandem, cum Ursinus Venetias delatus mentem Suleimani Senatui aperuisset, iratum illius animum mitigandum, atque leniendum Patres censuere. Itaque Senatus decreto, ut a Triumviris capitalibus de Alexandro Contareno legato, Naffio Jadertino trierarcho, ac Justo Gradonico, qui triremibus iis prærerant, quæ Janusbejum in fugam verterant, atque de aliis, ad quos ea noxa pertineret, quæstio habetur, Pesareo imperatori mandatum, ut Jadertinum, Gradonicum, atque alios, quos deliquisse arbitraretur, vincitos Venetas mitteret. Alexandro Contareno, ut Jaderam se recipere, jussum, relictaque triremi, Venetas statim se ad Triumviro capitales sisteret. Nec deerant, qui Pesareum se magistratu abdicare oportere arbitrarentur, quod Jadertini trierarchi impunitate omnibus, quæ postea acciderant, occasionem præbuuisse videretur; tantique pacem cum Suleimano æstimarent, ut nihil, quod ad illam servandam spectaret, prætermittendum censerent. Attamen in Senatu imperioriæ dignitatis decus, ac mortalium ea de re judicium plus valuit. Alexander Ursinus Aulonem, citato itinere, jussus contendere, qui Suleimano significaret, Senatum propediem ad illum legatum missurum, ex quo ea, quæ acciderant, se invito evenisse, inclinatamque Reipublicæ mentem ad pacis jura, & conditiones servandas, intelligerer. Vincentius Grimanus, procuratoriæ dignitatis, legatus est designatus.

Verum antequam Ursinus Aulonem pervenisset, Suleimanus adversus fidem, quam Canali dederat, se ad Ursini adventum omnia relaturum, classem, Hydruntina oppugnatione relicta, universam Aulonem convenire jussit, ut terrestrium, maritimorumque copiarum impetum in Corcyram verteret: ad id præsertim Chariadi suasionibus impulsus, qui acerimo odio in Venetos invectus, Suleimanum ad bellum impellebat, recentemque cladem supra Cassiopæum Corcyrae promontorium, ad Merleras, quas vocant, insulas, duodecim Turcicis triremibus captis, aut demersis, ab Auria acceptam, in Venetos transferebat; quod illorum auxiliis fretos, ac prope in eorum sinu talia ausos Ottomanici imperii hostes, acerbe conquereretur. Classis igitur Hydrunto Aulonem coacta vj. kal. Septembris ad fretum Corcyrae appulit: in ea, præter

ma-